NONNULLA DE NEVRALGIIS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Angelo medico Quadri (medico)

NONNULLA

DE NEVRALGIIS

Dissertatio inauguralis

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE

PERILLUSTRI FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE

SPECTABILI DOMINO DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

DOCT. JOSEPH MORETTI

Botanices Prof. Ord.

Ad Medicinae Lauream

RITE ASSEQUENDAM

IN C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

Mense Februarii 1838.

UNA CUM THESIBUS PROPUGNANDIS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

QUADRI ANGELUS

EX OSIO IN PROVINCIA BERGOMENSI.

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA BIZZONI

I. R. Universitatis Typograph.

1838.

NONNULLA DE NEVRALGIIS.

Inter plura ac plane innumera medicinae argumenta quae tyronibus objiciuntur ad Inauguralem Elucubrationem exarandam pro Laurea corona rite consequenda, illud mihi perplaquit quod de *Nevralgiis* disquirit. Ast quum opus sublime non solum, sed etiam perdifficile evadat humeribus meis, hinc solum nonnulla exponam quae de Nevralgiis faciunt, exoptando Lectores humanissimi, ut tantum flagrans desiderium ad munus academicum absolvendum in me agnoscant, et minime a meis viribus perexiguis cognitiones peringentes sibi polliceantur.

Nevralgia ille audit morbus nervorum, qui dolore acerrimo distinguitur persaepe periodico vel saltem remittente, dum ceteroquin dolor prae aliis partibus saevit ab initio versus originem nervi, et dein juxta ejus decursum et decompositionem exasperatur. Probabile sane est, omnes nervos posse nevralgia corripi, sed quum perdifficile sit sedem doloris in pectore et abdomine omni sub intuitu determinare, proinde a practicis speciatim nevralgiae distinguuntur *faciei*, *colli*, et *artuum*. Clarissimus *Chaussier*, omni solertia de quavis nevralgia classico pertractavit calamo, atque hasce potissimum in novem species disposuit, quae quidem e varia dolorum sede proprium sibi vindicant nomen. Species proinde quae a *Chaussier* distinguuntur nevralgiae, et quae exponendae nobis in hac dissertatione veniunt, sunt: *Nevralgia frontalis*; *infra-orbitalis*; *maxillaris*; *intercostalis*; *cubito-digitalis*; *ileo-scrotalis*; *femoro-praetibialis* vel *ischias anterior*; *femoro-poplitea* aut *ischias posterior*; demum *plantaris*. *Coussays* quoque *nevralgiam lumbalem* observavit, et *Barras* demum *nevralgiam spermaticam* distinxit.

Nevralgia generatim distinguitur dolore permolesto, acuto, lacerante; nonnumquam et speciatim sub morbi exordio dolor consociatur torpore vel mirmekismo; saepe saepius in posterum dolor evadit pulsans, lancinans, dilace-

rans, absque rubore, calore, tensione et tumore manifesto partis. Dolor nevralgicus frequentissime ad accessus plus vel minus frequentes recurrit, persaepe intermittens, nonnumquam periodicus manifestatur. Prouti vero dolor ad intervalla determinata recurrat, vel potius absque ulla temporis norma se prodat, nevralgia in *periodicam* vel *regularem*, et *anomalam* sive *irregularem* partitur. Dolor nevralgicus semper in exordiis, aut fere semper, ad truncum sive originem nervi cohibetur, vel tantum unam corripit nervi divisionem; ast sub incremento accessus diffunditur quoque usque ad ultimas nervi decompositiones, atque instar fulguris anastomoses quaslibet decurrit. Dantur casus in quibus diversae nervi decompositiones uno eodem tempore dolore aggrediuntur, interdum e contra dolor gradatim singulas alicujus nervi partes corripit, dum aliquando et in maximo accessus acmine nevralgia solummodo unum vel alterum filamentum invadit.

Symptomata secundaria cujuscumque nevralgiae sistunt: spasmi, fremitus, spasmi clonici plus vel minus evoluti ad partem adfectam, motus involuntarii et motus automatici qui temporis lapsu in depravatam habitudinem transeunt. Aliquando, dum in maxima accessus intensitate dolor saevit, tument pro momento venae; arteriae ad partem adfectam majori vi et

frequentia pulsant, secretiones et excretiones illis in partibus ubi nervus dolore correptus decomponitur, frequenter e normali recedunt tramite.

Diximus nevralgias omnes in *regulares* et *anomalas* partiri. Ad primas speciatim illae referuntur species quae uti supra exposuimus a clarissimo *Chaussier* ad novem reducuntur species; ad nevralgias vero anomalas spectant illae quae fortuita tensione aut vulnere nervorum proficiscuntur.

Nevralgiae Regulares.

Nevralgiae regulares compellantur, quae determinatum serbant decursum. Ad hasce referuntur : 1. *Nevralgia frontalis*, 2. *Infra-orbitalis*, 3. *Maxillaris*, 4. *Intercostalis*, 5. *Cubito-digitalis*, 6. *Ileo-scrotalis*, 7. *Ischias anterior*, 8. *Ischias posterior*, 9. *Plantaris.*

Nevralgia *frontalis* propriam agnoscit sedem in ramulo *orbito-frontali* paris quinti, et speciatim filamentis quae frontem petunt insidet. Dolor inchoatur ad foramen supra-orbitale, et dein ad palpebram superiorem, supercilium, caruncolam lacrymalem, angulum palpebrarum internum, et frontem potissimum diffunditur. Nonnumquam in nevralgia frontali propter anasto-

moses nervorum, dolor ad universam superficiem lateris respondentis faciei extenditur. Fere semper in maxima doloris intensitate motus palpebrarum cohibentur, photophobia oculos aggreditur, arteriolae frontis, temporum, et partis internae oculorum valdopere pulsant, tument venae, atque lacrymae urentes et magna in copia fluunt. Aliquando dolor potiusquam in fronte, in fundo orbitae et in externa oculorum superficie intenditur, unde oculi plus vel minus in tempore accessus rubro tinguntur colore. Persaepe dolor obscurus in sinibus frontalibus advertitur, nares ariditate et coryzae symptomatibus laborant. Dolor in casibus frequentioribus periodicus invadit, generatim quotidie sub vesperas adoritur, per tres vel quatuor horas protrahitur, dein omnino disparet ut die proximo novitus recrudescat. Ast interdum dolor frontalis minime hanc regularitatem servat; reapse accessus aliquando breviores et frequentiores evadunt, vel omni die aegrotantes excruciant ad temporis intervalla, cum manifesta vespertina exacerbatione. Adsunt demum et aegri in quibus nevralgia frontalis tantum per aliquot horae momenta continuant, et dein frequenter absque regularitate renovantur.

Nevralgia *infra-orbitalis* secundam corripit partem nervi quinti, et residet speciatim in nervo infra-orbitali. Hic dolor incipit in fora-

mine infra-orbitali, extenditur ad musculos et integumenta zygomatis et genae respondentis, nonnumquam labium superius, pinnas narium et partem infimam anguli interni palpebrarum aggreditur. Nevralgia infra-orbitalis interdum ad omnia filamenta secundae partis quinti diffunditur, et proinde dolor ad sinum maxillarem, palatum molle, uvolam et basim linguae protenditur. Propter anastomoses quae vigent inter nervum infra-orbitalem et alios nervos faciei haud raro prosopalgia universalis inchoatur in qua nimirum omnes faciei partes quammaxime dolent. Illo tempore quo dolor summopere saevit non infrequenter secretio et excretio salivae adaugetur, nec non motus irregulares in musculis labiorum advertuntur. Aegri ad temporis intervalla hoc dolore conqueruntur. Nevralgia infra-orbitalis prae nevralgia frontali rarius occurrit.

Nevralgia *maxillaris* vel melius *sub-maxillaris* dolore distinguitur ad nervum maxillarem partis tertiae quinti post egressum foraminis incisivi seu mentalis. Dolor incipit reapse in hoc foramine, protenditur ad diversos ramos mentales et labiales hujusce nervi, ascendit fere semper decus canalem maxillarem, atque nonnumquam expanditur ad tempora, dentes maxillae inferioris, atque ad latera linguae. Haec nevralgia fere semper irregularis evadit,

et rarius prae nevralgiis suprà expositis reperitur.

Nevralgia *cubito-digitalis* in decursu nervi ulnaris seu cubitalis proprium substratum agnoscit. Dolor manifestatur prope ulnam ubi nervus ulnaris solummodo integumentis tegitur et textu cellulari subcutaneo obvelatur, dolor ipse protenditur usque ad dorsum manuum, potissimum versus latus ulnare. Dolor cubito-digitalis rarissime observatur, et quoties aegros invadit irregularem semper manifestat decursum. Clarissimi Professores *Cairoli* et *Panizza* nevralgiam cubito-digitalem pervicacissimam observarunt apud eximium Professorem *Viviani*.

Dolor intercostalis mere nervosus *nevralgiam intercostalem*, *myodyniam intercostalem* aut *simplicem pleurodyniam* constituit. Hic dolor nulla stipatur febri, nullisque symptomatibus phlogoseos notatur, sed evadit lancinans, terebrans, ad intervalla recurrens, et sub pressione partis adfectae utplurimum imminuitur. Respiratio frequenter hac in nevralgia difficilis est, et motus levidenses parietum thoracis plus vel minus dolorem exasperare queunt. Quoties in hac adfectione dolor sit superficialis fere semper musculi thoracici et intercostales substratum pathologicum praebent, dum econtra si dolor nonnihil profundius evadit tunc potius in pleura doloris sedes delitescit.

Dolor qui de regione iliaca ad scrotum usque protenditur juxta decursum funiculi spermatici passim ab auctoribus variis nomine *nevralgiae ileo-scrotalis* salutatur. Dolor in hisce aegrotantibus est acerrimus, stipatur retractione testis, et contractione scroti. In hac nevralgia secretio urinarum normali absolvitur tramite, et hoc sub intuitu simplex *nevralgia ileo-scrotalis* a dolore funiculi spermatici, et testium sub decursu nephritidis distinguitur.

Nevralgia *femoro-poplitea* vel *ischias*, ab eximio *Cotunio* compellatur *ischias nervosa postica*, atque propriam sedem in nervo crurali posteriori seu magno ischiatico dignoscit. Dolor generatim incipit versus foramen magnum ischiaticum atque ad sacrum, partem posteriorem femoris, ad fibulam et dorsum pedum protrahitur. Raro quidem, sed interdum inchoatur dolor ad dorsum pedis, et ascendit versus femur, nates respondentes, et abit usque ad vertebras lumbares. Haec species nevralgiae est omnium frequentissima, fere semper periodicum tenet decursum, et speciatim determinata anni tempestate recurrit. Falsum attamen est quod ischias nervosa postica solummodo sub autumno advertatur, dum aliquando hieme, vere, et ipsa aestate aegrotantes excruciat.

Ischias vocatur *anterior* vel *antica* quoties dolor in nervis cruralibus anterioribus insidet,

et proinde ab inguine versus partem anteriorem femoris et tibiae, nec non versus maleolum internum et superficiem dorsalem pedis distenditur.

Nevralgia demum plantaris rarissima est, et semel ab ipso *Chaussier* observata fuit cohibita solummodo ad nervos plantares pedis sinistri. Haec nevralgia crudelis admodum est, irregularem tenet decursum, et speciatim de vespere et nocte exasperatur. Nevralgia plantaris aliquando per plures continuat menses et dein absque manifesta causa disparet; tunc referente pluries laudato *Chaussier* in casu quem ille vidit, nevralgia adoriebatur in posterum infra-orbitalis, dentes sponte cum stridore decidebant, demum imminuta prosopalgia, per balnea, diaetam lacteam et antiphlogistica omnia, nevralgiae phaenomena paulatim resolvebantur.

Nevralgiae Irregulares.

Nomine *nevralgiae irregularis* dolores comprehenduntur permolesti, anomalis decursus, per longum tempus sese producentes, qui enascuntur ex tuberculo vel ganglio in intima cutis compage, in textu cellulari aut juxta nervorum decursum insidente. Hi dolores fere semper proficiscuntur e tuberculo vel ganglio et

dein plus vel minus ad ultimas aliquando nervorum decompositiones protrahuntur. Quoque ad nevralgias irregulares spectant illi dolores qui enascuntur post causam aliquam traumaticam, quemadmodum essent: ictus, contusiones eoque magis dum per hasce causas nonnulla filamenta nervorum distrahantur. Practici quamplures ad hasce irregulares nevralgias, cephalalgias improvisas, vertigines, ophtalmodynias, spasmos et paralyses levidenses a contusione integumentorum capitis, nec non cephalalgias, et dolores ad collum post traumaticam laesionem ad occiput demandant. Demum nevralgiae quae a laesione alicujus ramuli nervei sub venae sectione ad pedem vel cubitum, jure meritoque a practicis, irregulares dici merentur.

Licet nevralgiae per se rarissime mortem aegrotantibus afferre queant, tamen summopere aegrotantibus noxias patrant, sive per doloris intensitatem, sive etiam ex eo quod dolor facili negotio recidivam patitur, et omnibus remediis nonnumquam renitit. Reapse haud raro post nevralgias, vel sub ipsarum decursu, morositas, pervigilium, anorexia, alvi constipatio pervicax, emaciatio universalis, laesiones digestionis et secretionis, aliquando ipsa atrophia et tabes enascuntur.

Hae sunt nevralgiae quae potissimum in praxi advertuntur. *Coussays* aliam, quoque nevralgiae

speciem distinxit nomine *Nevralgiae lumbaris.* Haec dignoscitur dolore periodico, sed irregulariter decurrente, et pervicaci qui quidem de prima vertebra lumbari lateris sinistri distenditur usque ad cristam ilei respondentis.

Barras demum in sua praxi *nevralgiam* adnotavit *spermaticam* distinctam doloribus intermittentibus ad partem infimam funiculi spermatici atque ad epididymum sinistrum. Nevralgia spermatica juxta auctorem nuper enunciatum adoriebatur post orchitidem; et dolor ad nates, femora, tibias, cystidem et urethram persaepe extendebatur inducendo continuum mingendi nisum, dysuriam, stranguriam, et ardoris sensum sub mictu laticis urinosi. Attamen fatendum est nevralgiam *spermaticam Barras*, et *lumbarem Coussays* ultimo intuitu nonnisi modificationes praebere nevralgiae *ileo-scrotalis.* Nevralgiae fere semper morbos constituunt chronicos, aut saltem ab initio haud dignoscuntur, vel etiam negliguntur dum acutae, et fugaces evadunt. Quoties vero dolor symptoma constituat alicujus phlogoseos, tunc rubore, calore, et tensione partis adfectae stipatur, frequenter additur febris et impeditum partis officium; dolor in hisce casibus est continuus, sub pressione adaugetur, regularem tenet decursum, atque per antiphlogisticam methodum quoties phlogoseos impetus cohibeatur etiam et dolor compescitur

vel omnino disparet. Dolor e contra nevralgicus fere semper intermittens, periodicus, irregularis et chronici decursus evadit; nonnumquam lancinans, terebrans advertitur, ut aegrotantes pervigilio, maxima agitatione et etiam subdelirio corripiantur. Dolor nevralgicus porro sub pressione partis adfectae imminuitur, et potissimum per sedantia narcotica, saltem pro momento silet.

Nevralgiae generatim morbi sistunt difficilis sanationis, eoque magis si jam a lungo existant tempore, nam illis in casibus fere semper omnia therapeutica adminicula incassum suppeditantur.

Causae.

Plures vigent causae tam disponentes quam occasionales ad nevralgias subeundans. Frequentius hae adfectiones adultos prae juvenibus aggrediuntur; senes et foeminae potissimum hisce adfectionibus maximam ostendunt dispositionem. Temperamentum nervosum, habitus corporis delicatulus, climata frigida et humida, tempestates hiemales, vernales, et autumnales prae aestivis quoque genesim cujuscumque nevralgiae favent. Inter causas demum nevralgiarum efficientes frigus improvisum, humiditas atmosphaerae, alimentorum stimulantium, vini, li-

quorum, venerisque abusus, et similia numerantur. Praxi quoque comprobatum est habitatores prope litora maris et milites prae aliis ad hosce morbos disponi ex eo quod humiditati et vicissitudinibus atmosphericis objiciuntur continuo.

Quaeritur nunc utrum nevralgiae morbum efficiant *sui generis* in humano organismo, vel potius ab irritatione, et phlogosi nervorum aut nevrilematis adoriantur. Relate ad causam proximam nevralgiarum, discrepant quammaxime inter se naturae scrutatores, et res adhuc altis obvelatur tenebris.

Celeberrimus *Cotugne* nevralgiam repetebat a quodam humore acri quem ille collexit decus nevrilema nervi ischiatici in quodam individuo ischiade posteriori correpto. *Siebold* quum in variis nevralgiae speciebus nervum trisplanchnicum vidisset subrubrum et volumine imminutum declaravit, adfectiones nevralgicas semper a lenta nervorum phlogosi pendere. *Cirillus* crassitiem detexit auctam cum manifesta duritie in nervis antea nevralgia detentis; *Chaussier* et *Bichat* ex cadaverum sectione conspexere in ischiade postica nervum magnum ischiaticum volumine auctum, injectum suis vasculis, modo ut capillaria ejus varicosa advertebantur. *Vandekoer* plura secavit cadavera senum variis nevralgiis a longo tempore correptorum et nevrilema in nervis nevralgia laborantibus obser-

vavit injectum, volumine auctum, opacum et nonnumquam squamulis cartilagineis vel osseis notatum. Aliquando anatomici tubercula et tumores cancerosos detexerunt decus aliquem nervum, vel in ejus compage quando perdurante vita aegri aliqua adflictabantur nevralgia.

Contusiones, et puncturae nervorum persaepe dolores progignunt nunc periodicos, nunc continuos, quod quidem extra dubitationis aleam ponit e causis traumaticis phlogoses prosilire, quae dum in chronicum vergunt decursum nevralgias ingenerare queunt. Ex hisce quae paulo supra exposuimus nonnulli censerunt nevralgias semper enasci ab aliqua irritatione, congestione vel phlogosi nervorum aut nevrilematis. Probabile tamen est ab anatome pathologica et practicorum observationibus hanc thesim in posterum confirmatam vel omnino refutatam iri. Rationi et experientiae consonum est in doloribus periodicis, brevis durationis, et in illis qui ad temporis intervalla sedem mutant phlogosim vel irritationem adesse superficialem; dum illis casibus in quibus dolor fixus, profundus et eodem semper nervo insistens advertitur phlogosis nervorum potius profunda et permanens dijudicanda venit. *Bellard* demum omni vi tuetur in nevralgiis semper aliquam adesse phlogosim vigentem aut praegressam, et hanc sententiam tuetur ex cadaverum autopsia, nam

collectio serosa quae in nevrilemate advertitur, adhaesiones cum partibus vicinis, ulcera quae aliquando in decursu nervorum vigent, mollities vel suppuratio nervorum in decursu alicujus nevralgiae, volumen auctum nervorum prope articulationes inflammatas, degenerationes calculosae, cartilagineae et osseae nervorum post nevralgias, abunde ostendunt aliquem processum phlogisticum in nervis obortum esse. En quae ab auctoribus variis traduntur de nevralgiarum causa proxima

Prognosis.

Diximus nevralgias morbos sistere chronicos, et difficilis sanationis, quemadmodum praxi medicorum abunde patet. Quid de prognosi inde profitendum erit? Inficiandum nobis haud est nevralgias acutas, levidenses, in juvenibus, robustioribus per ablationem causarum morbi inducentium et aptam therapeuticam methodum interdum sanari; sed pariter candide nobis fatendum in nevralgiis chronicis, a causa ignota procedentibus, vel causa numquam removenda enatis, eoque magis si in senibus, debilibus, cachecticis hae adfectiones contingant, therapiam perraro medicorum desideriis respondere; unde haud perperam censeo in hisce ultimis aegrotantibus prognosim valde reservatam pro-

ferendam esse. Reapse fere omnes medici conveniunt per nevralgias rarissime aegrotantes emori, et perraro etiam omni sub intuitu sanari.

Therapia.

Cura nevralgiae adhuc empirica est apud medicos quamplures. Hoc potissimum pendet duabus causis, quarum altera extat in conditione pathologica horum morborum nondum omni sub intuitu demonstrata, altera vero pendet ex eo quod medicamina antiphlogistica haud semper desideriis medicorum respondent, dum pharmaca quodammodo irritantia nonnumquam nevralgias ipsas compescere valent. Ast dum perpendimus medicamina irritantia revulsionem beneficam inducere, illico patet per haec ipsa adfectiones nevralgicas imminui posse, quamvis a conditione irritante vel phlogistica nervorum pendeant. Observationibus medicorum demonstratur revulsiva, antiphlogistica et narcotica integram in hisce morbis absolvere therapeuticam paginam.

Venae sectiones generales tantum proficiunt quando aegri juvenes, robusti, plethorici nevralgiis laborant cum manifestis hypersthenias generalis vel localis symptomatibus. Contrariis conditionibus, potius depletiones sanguinis generales noxiam afferre valent. Hirudines adplicitae ad cutim prope nervum adfectum maxi-

mum afferre queunt levamen; eoque magis si numero peringenti et repetitis vicibus admoveantur. Quoties dolor fixus evadat numquam hirudines satis collaudandae veniunt, nam quamvis sub prima vel altera ipsarum adplicatione aegri manifestum haud persentiant levamen, nihilo tamen secius, post hebdomadam circiter dolores evanescunt vel saltem quammaxime cohibentur.

Praeter depletiones sanguinis universales et locales, medicamina opitulantur quae revulsionem beneficam in systemate cutaneo ciere valent. Hoc sub intuitu rubefacientia, vesicatoria, moxa, frictiones stibiatae, inunctiones cum oleo crotonis tilii et similia ad sidera usque extolluntur. Haec ipsa medicamina revulsiva eo magis in hisce proficiunt casibus in quibus depletiones sanguinis generales et locales antea absolutae fuere.

A medicis recentioribus potissimum narcotica adhibentur externe super cutim. Admonendum tamen est, haec narcotica magis profici, quoties haec medicamina adhibeantur cuti epidermide denudata per vesicatoria antea adplicita. Inter varia narcotica quae huic scopo commendantur speciatim praestant, acetas morphinae, opium, lotiones cum infusione cicutae, belladonnae, vel etiam illinitiones peractae cum extracto cicutae et belladonnae in pauxillo aquae

soluto, aut oleum hyosciami et belladonnae partibus dolentibus admotum.

In nevralgiis regulariter intermittentibus tonica, et prae aliis chinacea interne adhibita nonnunquam sanitatem afferre valent. Si vero hisce in casibus roborantia per se haud sufficiant ad morbum devincendum, tunc apto consilio medici ad haec confugiunt medicamina cum narcoticis vegetabilibus, et potissimum opiatis. Oportet reapse narcotica ab initio roborantibus conjungere ad doses perexiguas, et dein temporis lapsu dosim narcoticorum pro necessitate adaugere.

Statim ac in aegrotantibus symptoma vigeant generalis vel universalis phlogoseos ab omnibus stimulantibus et roborantibus internis sedulo cavendum, ex eo quod per haec ipsa medicamina hypersthenia universalis vel partialis intenditur, et nevralgiae quae potissimum a quadam irritatione vel lenta phlogosi adoriuntur nervorum, incrementum perinsigne accipiunt.

Varia et quidem plura narcotica collaudata fuere uti specifica in variis nevralgiarum speciebus; proinde hyosciamus et belladonna a nonnullis prae aliis commendantur in nevralgia frontali, submaxillari, et faciali; opiata fere ab omnibus suadentur auctoribus in quavis nevralgiae specie; ast quoties medicamina narco-

tica debita dosi et aptis indicationibus adhibeantur, fere semper aliquod aegrotantibus afferunt levamen, et persaepe morbos mere nevralgicos extinguere queunt. Narcotica ad temporis intervalla cum antiphlogisticis exhibita, in illis speciatim conveniunt casibus, ubi praeter dolorem nevralgicum symptomata vigeant hypersthenlae manifestae.

In nevralgiis pervicacioribus, chronicis, acerrimis, omnibus indiscriminatim renitentibus medicaminibus internis et externis ipsa commendata et instituta fuit sectio nervi affecti. Sed et hoc chirurgicum adminiculum aliquoties usurpatum, non semper exoptatam sanitatem protulit.

Quum nevralgiae nomen generatim explicare valeat dolorem nervorum, hinc nullum superest dubium ad hanc adfectionem posse referri omnes morbos in quibus dolor aliquis advertatur, sed quum hae dolorum species a topica irritatione, phlogosi, vel laesione quacumque partis adfectae pendeant, proinde in tractatu de singulis partium morbis persolvendae sunt.

FINIS.

94

THESES DEFENDENDAE.

1. Corticem cascarillae prae antiperiodica, adstringente virtute laudandum.

2. Omnes rubiacearum familiam constituentes stirpes, principio adstringente pollere.

3. Cysticos oculorum tumores fere nunquam arte curandos.

4. Nonnullos morbos sanare, damnosum.

5. Pleuritidem dorsalem, laterali funestiorem.

6. Miasmum paludosum haud unicam febrium intermittentium causam.